

Rath 873.

DUO SANCTIORIS VITÆ

M A G I S T R I

S. FRANCISCUS BORGIA

ET

B. MAURITIUS CSAKY

Reverendis, Nobilibus ac Eruditis Domini-
nis Dominis AA. LL. & Philosophiæ Neo-Magi-
stris In Alma Episcopali Universitate
Cassoviensi

Per
R.P. JOANNEM BAPT. JURKOVICH
ē Soc. JESU. AA. LL. & Philosophiæ Doctorem,
Ejusdemq; Professorem Emeritum, ac p.t. Seniorem

RECENS PROMOTIS

Ab
Illustrissima, & Nobili
RHETORICA CASSOVIENSI
Dicati

ANNO M. DC. XCIII.

IMPRESSUM


LEUTSCHOVIÆ, Typis SAMUELIS BREWER.
Anno supra dicto.

35
32
61

NOMINA DD. PROMOTORUM

Ordine Alphabeti:

- D. Adamus Gallai Pannon Szucsaniensis ex Comit. Nitriensi.
D. Georgius Sluha Nob. Ungar. Holicsiensis ex Comit. Nitr.
D. Jacobus Tormasy Pannon Varalliensis ex Comit. Scepus.
R.D. Joann. Bap. Kremeny Germ. Olássien. ex Comit. Scepus.
Seminarij Kisdiáni S. Ladislai Regis Alumnus.
D. Joannes Georgius Delpini Nobil. Germ. Neosol. ex Co-
mitatu Szohiensi.
R.D. Joannes Fridrik Ung. Rosnav. ex Comit. Gömeriensi
Semin. Kisdi. S. Ladislai Regis Alumn.
D. Joannes Guzickj Pannon Nedeczensis ex Comit. Scep.
D. Ladislaus Devini Nob. Ungar. Cassoviens. ex Comitatu
Aba-Ulyvariensi.
D. Martinus Zorger Nob. Ungar. Bartffensis ex Comitatu
Saarosiensi.
D. Paulus Novak Pannon Mattyasfalvensis ex Comitatu
Scepusiensi.
R.D. Stephanus Emericus Szerdahely Nob. Ungar. Szerda-
helyensis ex Comit. Scepus' Semin. Kisdiáni S. Ladislai
Regis Alumnus.
R.D. Stephanus Pathay Ungar. Gyöngyösiensis ex Comit.
Kevessiensi. Semin. Kisdi. S. Ladislai Regis Alumnus.



Ad Reverendos, Nobiles, ac Eruditos
DD. NEO-MAGISTROS PHILOSOPHOS.

Supremis in Philosophia plausibus Ve-
stris modulo nostro applausuri, binos in Hono-
ris Vestri theatrum *sanctioris vita Magistros* indu-
cimus Neo-Magistri Philosophi. Divum vi-
delicet *Franciscum Borgiam*, & *B. Mauritium Csaky*.
Quorum ille ex ipsa platonica Philosophiæ definitione (a) pra-
cticam melioris vitæ Conclusionem inferendo, *Philosophi*, iste
mutuatis ex sanctiori Cœlestis Rheticæ Loco argumentis,
perfectiorem vivendi rationem sibi & uxori suæ persuadendo,
Rhetici nomen sibi meritò usurpârit. Mortem meditatus,
vitam sœcularem deserit *Franciscus*; Factâ rerum temporalium
cum æternis *Comparatione*, ut has lucrificiat, illas manumittit
Mauritius. Uterq; Durationi temporis æternitatem præferens,
Infinitum beatitatis, & *Continuum gloriæ* comprehendit uterque.

Gratum reponet aliquis, & omnino dignum Philosophiæ
Magistris adfertis argumentum; sed quia moestæ memoria
mortis inquinatum, neq; tempori, neq; actioni conveniens.
Quid enim opuserat plausibus miscere fletus, luctibus conta-
minare triumphos, mœrore lætitiam corrumpere, amœnissi-
mam festivæ diei lucem obscuris tristitiae nubibus temerare?
Nætu exiguum salis portionem cum Philosophis absumperis,
qui talia nobis Misohanate. Certè, si ut Platonii placet, Sa-
pientis, hoc est, Philosophi animus totus in mortem promi-
net,

A 2

(a) *Philosophia est mortis meditatio. Plat. & Boët.*

net, coram Philosopho, etiam inter plausus (: in quibus Philosophus esse non desinit, imò maximè conditionis suæ meminit:) de morte agere conveniens. At mittamus ista: non enim disputare, sed collatos honores Philosophis gratulari nobis propositum. Vivite! vitam enim longam, qui mortem meditamini. Vobis precamur Neo-Magistri Philosophi. Vivite! & ut semper vivatis, cum optimæ vitæ Magistris, quos in theatrum Vestrum induximus, de bona morte agite.

Ita Vovent & Svadent

SVADÆ CASSOVIENSIS ALUMNI:

Illustriss. Com. GEORGIUS CSAKY de Kereszt szegh.

Joannes Lukacsik. Nobilis Ungarus.

Ladislaus Bekecs Nob. Ungar. Szatmar.

Joannes Juliani Nobil. Ungar. Eperiens.

Carolus Antonius Rottenstein Nobilis Austria-cus Mechelburgensis.

Stephanus Csabay Nabil. Ung. Kis Vardien.

Franciscus Turcsany Nabil. Ungar. Eperiens.

Franciscus Devini Nabil. Ungar. Cassoviensis.

Georgius Dalecsek Nobilis Pannon Stropkoviensis.



S.FRAN.



S. FRANCISCUS BORGIA. EPI T A P H I U M

*Sabella Augusta tumulo appensum
Ab Adamo Uyhely Nobili Ungaro.
Qui ad proprium quotidie properas tumulum,
Ad hunc tantisper subsiste tumulum,
Viator.*

*Et quid de rebus mundanis sentias,
Hanc venam consule
Hic gloria, majeſtas, & honor sorbentur pariter;
Purpura putreficit, pallescunt Coronæ,
Sceptrum squallet, gazæ vilescant.
Virtus post funera sola superstes.
Cætera omnia
Vanitas vanitatum.*

*Hic jacet
Per quam stertere regna;
Hic extincta est,
In cuius vita multorum vixit vita
AUGUSTA IMPERATRIX ISABELLA
Augusta fuit;
Non est:
Romanorum Imperatrix;
Nunc vermium mancipium:
Isabella;*

*Paucos ante Soles nemini non bella;
Cunctis modò horror & nausea.*

Formæ inconstantiam ex deformato cadavere agnoscet:
Nuper fœminarum gloria,
Nunc turpis calvaria, & abjectus terræ pulvis.
In vita oculorum illicium,
A morte
Horror intuentum, putredo, sanies, & tabum.
Sic nempe
Fallax gratia & vana est pulchritudo.
Tam citò extabuisse illam
Ne mirere:
Flos fœni fuit.
Ultimus ei *exortus* vitæ sol
Arefecit carnis fœnum,
Et flos ejus decidit,
Et decor vultūs ejus deperiit.
Nisi malis rosam dicere;
Quæ multum formæ, & odoris,
Modicum vitæ habuit.
Tu, si diu florere cupis,
Amaranthus esto.
Abi,
Cœptum iter prosequere Viator.
Quod dum ambulas, metam aspice:
Te quoq; huc deferendum cogita.
Terminus iste cunctis viatoribus communis est;
Crœsos, & Iros,
Augustos, Mediastinos,
Reges, Colonos,
Maximos & minimos
Pariter hæc urna sorbet.
Comunis omnibus *mors*
Sceptra ligonibus æquat
Felicem interea noctem

In umbra mortis jacenti Augusta
precare:
Dic:

Amodo jām requiescat à laboribus suis,
Donec optata veniat
Sicut mercenarii dies ejus.

ISABELLÆ AUGUSTÆ
E Sarcophago ad vivos Apostrophe.
ORATIO.

OMnes morimur, & velut aquæ dilabimur. O brevem, & evanidam, quam sibi depingit animus mundanæ felicitatis æternitatem! O funestam Augustalis gloriæ majestatem! Breve momentum claudit omnia; unica mortis nubecula ita Serenissimos regnum eclipsat Soles, ut nusquam amplius suæ lucis diffundant radios; qui fatali deliquio pallescentes, imò æviternæ noctis cooperti caligine, perpetuum patientur occasum. Brevi momento, ad ictum oculi clauduntur omnia; in fumos abeunt Auricis splendores, cum bullis evanescunt honorum pompæ, Cæsares rediguntur in cineres, Augustæ resolvuntur in pulveres, pulcherrimæ quondam Helenæ in vermes transformantur. O fallacem vultūs humani gratiam! o vanam formæ pulchritudinem! Ubi estis nunc Veneres Trojanæ, Zenobiæ Palmyræ, Lucretiæ Romanæ, Cleopatræ Ægyptiæ, Semiramides Babyloniaræ? fuitis olim orbis deliciæ; nunc ne memoriam quidem vestri absque horrore orbis habet. Ubi & vos nunc estis formosissimæ Reginæ? quæ paulò ante formæ prodigia habebamini, humanæ gentis gloria decantabamini: quarum amores ambiebant Principes, nuptias expetebat Augusti, vel ad solius nominis vestri memoriam singularibus affectuum flammis accendeabantur Palatini. Ubi estis? fuitis, non estis, quasi nunquam fuissetis: ab Augustis palatiis translatæ ad angustum tumulum, ab aulæ splendoribus ejectæ ad tenebrosum telluris angulum, à solio deturbatæ ad solum, à majestate ad cineres, à gloria projectæ ad pulveres. Ubi pedibus ad ludi-

Iudibrium conculcamini, vernis ad horrorem scatetis, putredine super omnem mephitim sordetis.

Sed quid ego alienæ insulto calamitati? quid silentiosos veterum illarum Helenarum excutio pulveres, quæ in propriis tumulata cineribus, saliare vernis de meo corpore præbeo convivium. Illa ego (: si fortè viventum excidi memoriâ:) Illa ego (: ô fatalem tanti nominis umbram!) Illa Augusta, illa ego Isabella, mundi nuper delicium, & formæ prodigium, eheu! nunc vermium pabulum. Illa ego non jam orbis Imperatrix, sed vile, & abjectum Libitinæ mancipium, non regnum Domina, sed mortalium egentissima, non venustatis humanæ gemma, sed sperma naturæ, non affectuum & amorum cynosura, sed quæ intuentes terreat, exangvis umbra. Breve momentum nostræ confudit fontis majestatem, serenissimam vultus obscuravit gloriam, candidissimas collinives resolvit in saniem, geminos oculorum extinxit pyropos, oris purpuram commutavit in tabum, genarum rosas convertit in vermes, venustissimam deniq; Isabellæ faciem in foedam transformavit calvariam. Eheu! perjura mundi felicitas! hic hic tuorum est meta favorum; huc tandem eos detrudis, quos blandiore brachio complectaris. Eram ego, si quæ priorum super est memoria, eram ego, vos testor Palatini, iis seu naturæ, seu fortunæ dotata gratiis, quibus instructas paucas admodum foeminas orbis vidit. Eram, non sum Imperatrix; eram Augusti delicium, formæ miraculum, eheu! nunc esca sum vermium. Non sum, quæ fui Isabella, non sum Augustæ, umbra sum, pulvis, bufonum pabulum, ludibrium fortunæ, nihil. Sic nempe fallax gratia, & vana est pulchritudo, herbæ virenti similis; quæ licet manè suis floribus vernans, delectet oculos contemplantium, paulatim tamen emarcescens, amittit pulchritudinem, & in foenum, quod conterendum est, vertitur. Hic se pulchralis loculus coarctat majestatem, hæc tumba tripalmaris venustatem sepelit, hæc mortualis urna universam sorbet felicitatem! Tanta Imperatrix ab omnibus despicio; quæ jura dabam regnis, jam vermium juri subjicio: augustis excludor ædibus, laribus exturbor; & qui me de genibus adorabant, eorum pedibus conculcor. Nulla me circum amplius ferunt obsequia; Nulli Isabellæ famulantur Ephœbi; Nullum orbis Dominam comitatur Gynecæum; nulli Augustæ assurgunt Principes; nulli Imperatricem circumstant Palatini. In fatalem projecta loculum vilet Majestas; gloria cineribus insepulta jacet sub pedibus; famulatum abit in vermes; admiranda illa venustas, delicata illa caro, quæ

flavis

flavis iu capite crispabatur comis, roseis in vultu purpurabat genis, Laetæ in Cervice candebat nitore, corallinis in ore rubebat labris; illa inquam exquisitis nutrita deliciis caro, quæ byssus, & purpuræ tegebatur, cuius auribus quidquid jucundum, naribus quidquid odoratum, oculis quidquid pulchrum, palato quidquid dulce, manibus quidquid molle fuit, offerebatur; ulciscente se mortis falce, omni gloriâ, & dignitate, omni authoritate, & potestate, omni pulchritudine, & venustate, toto deniq; fortunæ & naturæ coragio, & mundi, quo tumebat, apparatu spoliatur, inq; saniem versa, turpissimis nauseantis naturæ vomitu monstris in cibum & escam abjicitur. O tetrum putrescentis gloriæ spectaculum! O lu-
etuosa abominandæ venustatis metamorphosim! Ite, ite nunc quot-
quot adhuc vitales hauritis auras formosæ Veneris; ite, & pulchritudi-
nem vestram jactate. Breve momentum amabilem illam vultus vestri
serenitatem confundet, & velitis nolitis, in turpissimam transformabit
calvariam. Ite! erravi; dicere volebam: Venite! me propius inspi-
cite, & formæ inconstantiam in deformato cadavere agnoscite. Olim
pulcherrima mulierum, nunc naturæ monstrum, & esca sum vermium.
Quam olim amabilis, tam nunc abominabilis. Nemo nuper Isabellæ
vultum aspergit, quem non rapuisse, nemo Augustam salutavit, quem
non pellexisse, nemo Imperatricis dexteræ venerabunda fixit oscula,
quem non traxisse, nemo me vel solo nomine novit, quem non singu-
lari amoris igne accendisse: Nunc verò quis est qui vultum meum in-
tueatur, & non illicò vultum avertat! quis! qui formam meam inspiciat,
& non protinus nares obduret? quis absq; nausea me accuratiùs con-
templetur? quis deniq; est, qui me propius accedit, & non continuò
fugam mediterit. Nemo præsentiam meam amplius ambit, omnes
execrantur; nemo Isabellam, nemo Augustam amplius agnoscit, nemo
credit. Valete postumi, me in regionem umbræ mortis brevi seque-
mini: in qua dum ego ab omnibus deserta diem iræ, calamitatis & mi-
seriae, diem magnum & amarum valde expecto; vos, si sapitis, diem
hanc cogitate, timete, valete.

Dicta in Schola Rheticæ Cassoviæ
A' Carolo Anton. Rottenstein. Nob. Austr.

B

S. FRAN-

S. FRANCISCUS BORGIA

Ad tumbam Isabellæ Augustæ vitam mutans.

ORATIO.

Quem hic lamentabili voce ad lacrymas perorantem audio Oratorem? quis luctuosus iste silentiosos Libitinæ specus permeat sonus? quæ hic aculeata facundia mortes minatur, & funera? quis mortuorum è sepulchrali suggestu in vivos verborum torquet fulmina? quod ad horrorem loquitur silentium? Anne truculenti facti poenitens funestissima mors, quam nuper abstulit, vitam Augustæ restituit? Loculum propriùs inspicio. Heu! portentarum! quis horror superni! quæ Majestatis catastrophe! Tune Isabella? Tune Augusta? Tune potentissimi Orbis Monarchæ conjunx illa lexitissima, venustatis prodigium, gratiarum sedes, affectuum cynosura, scopus amorum, regiæ simulacrum majestatis; tune Isabella? Cujus majestati coronata Europæ capita Serenissimos lunabant poplites, cuius pedibus subjiciebant vexilla Duces, cuius Scepbris Suas inclinabant Insulas Præsules, cuius amores Principum venerabantur obsequia, cuius nutum solliciti observabant Palatini, ad cuius magnificentiæ, & gloriæ incrementum nulla non artis, ac naturæ industria desudabat. Tune Isabella? Quam si vivam spectassent, Suâ Argivi Atalantâ, Romani Lucretiâ, Volsci Camillâ, Trojani Helenâ, Thraces Deiopeiâ, Cleopatrâ Ægyptii formæ rarioris eminentiâ Superiorem longè judicassent. Hæcne illa est Isabella? à fortitudine Semiramis, à magnanimitate Tomiris, à gloria & majestate Roxana, à venustate, & pulchritudine Hispana Sisigambis compellata. Fallor! non est Isabella; non est Augusta. Talis mihi visa nunquam fuit Isabella. Facilius inficiabor me Gandiæ Ducum oriundum prosapiâ, Magniç; Nepotem Caroli, quæ hanc, bellam esse Caroli Isabellam, totiusq; fatear Imperii Dictatricem. Est tamen Isabella, jam non bella, sed ipsa deformior deformitate: non jam pulchritudinis prodigium, sed quæ spectantibus horrorem incutiat, larva mortualis.

O caducam! O instabilem humani vultûs venustatem! O nimium fragile formæ bonum! Quantum mutatam, quæ sibi dissimilem nunc aspicio Isabellam. Quæ nuper aliarum formas suâ extinguebat pulchritudine; cuius oculi gemmeas æmulabantur flamas; cui suam inspiraverat

verat amœnitatem Chlorys, per cuius genas regales se diffundebant gratiæ, in cuius fronte stationem fixerat majestas, cuius gemini superciliorum arcus augustos jaculabantur amores; nunc mutato in calvariam vultu, Squallenti, & exeso vernibus corpore, scapulis in fornicem arcuatæ, hiantibus, aridisq; faucibus, oculis sine luce profundam retrusæ in specum, diffusâ per artus male olente tabe, stomachum movet potius, quam animos in sui amores invitet. Lac illud faciei candidissimum in foedam sanie, nive nitidius ebur colli in putre tabum, nævi omnis expers oris purpura in squallorem abiit & putorem: Deniq; augustalis illa frontis majestas, roseus ille vultus, prius charitum ara, nunc flava buxus est: nihil renitet, nihil splendet, nihil allicit: Quæ nuper intuentum animos illaqueabat aspectu, sermone delectabat, irretiebat motu, trahebat incessu modo langvet, marcat, tabo sordidatur & sanie. O speciem descendentam! O admirandam pulchritudinis metamorphosim! O quæ brevi momento evanuit omnis prodigium venustatis! Istæ manus non uno nuper imperantes sceptro, iste capitis vertex gemmis gravi redimitus diademate, isti humeri auro distinctam sustinentes purpuram, jacent modo exanimis finè vita truncus. Periit, evanuit omnis prodigium venustatis. Quis olim te formosissimam aspexit, quem non rapuisti? quis accessit, quem non pellexisti? quis dexteræ venerabunda fixit oscula, quem non traxisti? quis vel solo te nomine novit, quem singulari affectu, ac amoris flammâ non accendisti? Et quis modò est, quite propius accedat, nec tamen exhorrescat? quis accuratiùs contempletur, & non totus obstupeat? quis tam deformem formam absq; nausea diutiùs intueri? quis tantæ mephitis præsentiam finè deliquio ferre valeat? Periit, occubuit, evanuit omnis prodigium venustatis. Sericeis quidem superbit ornamenti; sed quæ vermium sunt stragulæ: veste conchyliatâ, chlamydeq; purpureâ, amicitur; sed qua simul putrescentis squallor corporis integitur: torques gestat aureos, annuli digitos, armillæ manus, collum monile, bulla pensilis pectus exornat; Sed è quibus ossæ compagis turpitudo clariùs elucefit: ventillantur ad tempora cryspati ab arte crines, distincti circis circumpendent cincinni, frons ambitur diadematæ, auribus appensi librantur uniones, fert gemmeo vertex prægravatur; sed quæ sepulchri sunt supellex, terræ gaza, putredinis pabulum, perenne fugientis ad instar venti mundanæ vanitatis monumentum. I, nunc, superbi future pulvis, tuas à venustis vultibus emendica delicias Protopophile; fragile illud formæ bonum admirare.

Nos verò quid agimus anime? quid querimus? quid insectamur?

quousque tandem *diligimus vanitatem, & querimus mendacium?*
quamdiū mundi mancipia sumus, grandesq; honorum fungos prensamus?
Si potentissimam orbis terrarum principem fatalis absorbit Urna, breviq;
momento Augustam redegit in cineres, mundi Dominam resolvit in pul-
veres, pulcherrimam mulierum in vermes transformavit; quid de nobis
futurum censemus? num clementius nobiscum acturam mortem somnia-
mus? Si rata, & fixa stat omnibus moriendi necessitas, si è fortunæ sinu
ad Libitinæ gremium, è summis honoribus ad summum contemptum, ex
Augustis palatiis ad angustam foveam præcipitandi, si post ampla cubilia
serica stragula in brevem hunc lectum brevi reclinandi sumus; Ubi sub-
ter nos sternetur tinea, & operimentum nostrum erunt vermes; Si de-
nique post exiguum temporis intercedinem ista vitæ nostræ claudet
Actum Catastrophe, quomodo adhuc infanire lubet? cur non otio, lu-
dis, mundiq; deliciis nuncium remitto, aulæ valedico, & à semita fasitatis
ad viam transeo veritatis? *Omnis morimur, & velut aquæ dilabimur;*
conditione, moribus, ætate, fortunâ, dispare, pari sorte excipiet hospiti-
tum æternitatis; vix nati incipimus vivere, mox ad vitæ metam prope-
ramus: non aliud inter matris uterum, & tumulum spatium est medium,
nisi punctum; quod si æternitati comparo, est minimum: non alias inter
illa duo extrema *nasci, & mori, medius intercedit terminus*, quam ictus
oculi. *Omnis morimur.* Humiles myricas, & altas cedros æquabit una
falx: in pulverem, in tabum, & saniem abimus pariter. Atque hoc non
tripodis effatum, vel Sybillæ oraculum est, sed Theologorum sapientissi-
mi, Divini Spiritus sensus. Testantur hoc quotidiana funera, omnium
saeculorum loquitur experientia, clamant tumuli, docet novo exemplo
mundi delicium, Augusta consors Imperij, Hispaniæ gemma Isabella.
Isabella! nuper omnium gratiarum Dea, formæ, & pulchritudinis mira-
culum, oculorum illicium; nunc fœdè graffantibus per tetram oris, cor-
porisq; majestatem vermibus, bufonum ludibrium, sanies, foetor, narium
& oculorum horror. Isabella! in quam fortuna nobilitatem sangvinis;
rerum parens natura in vultu delicias, in moribus majestatem, in oculis
gratias, in verbis ambrosiam, in gestu motuq; dignitatem plantaverat, in
hoc pineo carcere, in hac tripalmari tumba, in hac cinerum urna grave-
olentem exhalans mephitim jacet exanimis. O inanes spes mortalium!
jacet, putreficit Isabella! Augusta fuit, non est; Romani orbis Impera-
trix, nunc vermium mancipium: Regnorum Domina; mortalium pau-
perima: Delicium Hispaniæ; sperma naturæ: Pulcherrima mulierum;

monstrum offeum: humanorum affectuum cynosura, scopus amorum;
tabo & sanie diffluens jacet Isabella.

Cujus lumina dum in mortem clausa contempler, meos mihi oculos
in meliorem vitam aperiri sentio. Video quem tandem tua fucatae mundæ
habeat exitum felicitas: & quam substibiata pulchritudine oculas turpu-
dinem, ex deformato formosissimæ nuper Augustæ vultu clarè perspicio.
Agnosco tuum mel post modicum in amarissimum fel commutari; tua
munera in funera, tuos arrisus in irrisus, tua culmina in fulmina, tuarum
opum cumulos in tumulos, copiam in inopiam, amplexus in nexus, glo-
riam in ignominiam, honores in contemptum, majestatem in cineres,
pulchritudinem transformari in vermes.

Ite nunc mortales, quibus chara inter spinas est vanitas, grata inter
spes lubricas deceptio, secura inter fluxa prosperitas, tuta inter casus in-
certos lætitia, dulcis inter amara voluptas; Ite, & magnis cogitationibus
pectoris implete; neglectis æternis peritura gaudia quærite, venustis vul-
tibus amores vestros affigite, evanidas insectemini honorum umbras, ina-
nes plausum ventos captate, opes anxiæ collectas per mille annos dispo-
nite, hodiernâ vel crastinâ morituri.

Tuus interim Augusta occasus meus erit ortus, tua mors mea vita,
tuus pulvis meum pharmacum, tua corruptio mea genesis, tuus cinis meus
ignis; à quo dum fibras mihi corripi sentio, in novum transformari Pro-
metheum incipio. Valete spes mortalium vanæ vanissimæ; Cæsarea
domus, Augusta palatia, innocentiae scopuli aulæ valete; valete quos
obviis ulnis excipere possem honores amplissimi, dignitates altissimæ, ti-
tuli serenissimi: nunc enim probè intelligo amaros vos esse fumos, qui-
bus perstricta humanæ mentis lumina sæpe sæpius ad propriam perniciem
cæcutiunt: culmina dignitatum præcipitia esse video; è quibus non raro
vertiginoso fastui in turpissimam ignominiam patet ruina; Valete non
unius ducis dignitati, sed vel regiæ quoq; sustinendæ majestati sufficieturæ,
opes, & divitiae; Si quando nunc certè perspicio, non solùm omnes viros
divitiarum, sed & opulentissimas Imperatrices, ubi dormierint somnum
suum nihil invenire in manibus suis; Valete floribus non absimiles, tam
citò morituris, quam natis Cæsarum favores; ad animi corporisq; relaxa-
tionem magnifici deliciarum apparatus, bullata oculorum ludibia; ma-
lesanæ voluptatum Syrenes valete: viscum nimirum animorum esse vos
agnosco, cui implicata mentis libertas terræ adhærescit, nunquam in sub-
line provolatura. Compedes esse doceor, queis vinculatus animus, tur-
pissimo propriarum cupiditatum famulatu mancipatur. Actum agis, fru-
stra

stra mihi dolose munde fallaces has escas, colorata hujusmodi incitamenta, compendiata regnum patrimonia objicis. Sublimior infantibus hisce tuis crepundiis hodie factus, experior hæc splendida blandientis fortunæ munera aliud non esse, quam gravantes animorum sarcinas, scelerum somites, virtutum funera, supernorum charismatum sepulchra, mali omnis scaturigines. Sint proinde suæ, quibus inhabet Cosmophilis opes; sint quos sitiant infelicibus Tantalis honores; sint queis æstuent suæ Titii, sempiternis plectendæ morsibus voluptates; Solas ego quas nullas prædo eripet divitias, quos nulla livoris tinea arrodet honores, quas nulla sequatur poenitudo delicias investigo. non aliæ in amoribus mihi sunt purpuræ, quam quibus proprio in sangvine tintatis, ipse Rex gloriæ condecoratur: non aliæ placent coronæ, quam quibus in assiduo legitimè certandi stadio indefessi Heroës redimuntur: non alia quæro Sceptra, quam quæ mancipatis in servitutem desideriis, dominator sui animus circumgestat: non aliam deniq; dilectionis mihi figo metam, quam vel pendentem è crucis trabe, vel sub candido panis velo latenter Deum.

Ibo, quo mentis onerariam Divini Spiritus impellunt Favonii, quo auspicatissima cœlestis favoris cynosura prælucet; quo à sæculi vanitate arcans motibus Deus invitat; Ibo ad fortunatum illum portum, ubi sine mundi periculis securitas, sine curis quies, sine metu gaudium, sine cupiditatum tempestibus animi tranquillitas; sine nube tristitiae perpetua mentem irradiat serenitas. Ibo asylum securitatis, deliciosissimam Divinarum charitum patriam, Sapientiæ domicilium, Fidei mumentum Insulas verè Fortunatas, unicam votorum meorum metam, Filii Dei requiram societatem. Ite tempora, currite horæ, properate Soles, & me tandem dilecto JESU vinculis nunquam dissolvendis colligate.

Dixit
Michaël Beniczki Nob. Ungar.

Defor-

Deformata per mortem
ISABELLÆ AUGUSTÆ
Forma
FRANCISCUM BORGIAM
In alium hominem transformavit.
ELOGIUM.

Dubius materiam informari formis
Non negabitis Philosophi,

Ubi Isabellæ Augustæ cadaver inspexeritis.

Duarum illud formarum subjectum est:

Vitæ, & Cadavereitatis.

Non creditis?

Ad vestrum appello principium:

Nemo dat, quod non habet

Cadaver Augustæ

Vitæ Sanctioris Formam Francisco dedit;

Formam igitur Vitæ habuit.

Non solam:

Quia cadavera privatum non fuit.

Ergo duas.

Nisi dicere malitis:

Omni tum spoliata Forma

Informem omnino Isabellam extitisse.

Vestræ id quidem adversum opinioni,

Verissimum tamen:

Nam ubi carnem Corruptio invadit,

Omnem illic formæ venustatem extinguit.

Mirabilem porro Compositi hujus structuram,

Et novam Francisci ad Augustæ Sandapilam mutati

Informationem

Ex ipso accipite Francisco.

Tunc ait ille, ego vivere cœpi

Cum vivere desit Isabella.

Nimi.

Nimirum

Corruptio unius fuit generatio alterius.

Quæ dum Augustam resolvit in cineres,
In novum Phoenicem Borgiam animavit.

Privatio Venustatis

In mutatione ista tunc principiavit,

Quando primo fuit:

Quia in cor Francisci egit,
Cùm pulchritudo desiit.

Ut vel hinc advertamus:

Multis ad meliorem vitam tunc primùm aperiri oculos,
Cùm suos in mortem vanitas claudit.

Nobilissima Isabellæ Forma in fœdum conversa putorem,
Dum stomachum movet,

Nobiliorum formarum appetitum spurium esse
Non obscure innuit.

Postquam *Demonstratio* sepulchri convictus,
A falsitate mundi ad *Veritatem* transiit,
Opinionem hanc proprio exemplo confirmavit
Franciscus.

Ita suos appetitus deinceps moderatus,
Ut nullâ formæ nobilitate moveretur.

Nunquam non in *ignobiliora* propensior.

Corruptio carnis, & conditio animæ separata
Semper illi ante oculos mentis obversata.

Nulla cogitati familiarior

Quàm inter urnam *Conclusio*,

In tumulum *Iustitia*.

Unica ejus cura,

Ut post brevem *Durationem* corporis
In longam animus beatæ pacis æternitatem transferatur;

Continuum in ea vitæ,

Ac *Infinitum* gloriæ comprehensurus.

Dixit

Ladislaus Bekecs Nob. Ungarus.

Trium



Trium Frontispicij

S Y M B O L O R U M

Declaratio.

S Y M B O L U M I.

Geniorum unus exesum in tumulo hominis cada-
ver alteri digito commonstrat.

Inscriptio: *Hypothesis ad Thesim revocanda.*

Subscriptio: *Huc revocabimur & nos.*

Hypotheses ad suam revocari Thesim profana Quintiliani, & Aristotelis, singulos in communem mortalitatis reduci viam homines Cœlestis docet Rhetorica: hac solūm dispari ratione, quod illa liberam hypotheseos, id est, quæstionis finitæ ad infinitam revocationem permittat, ista omnibus omnino hominibus moriendi necessitatem imponat. Num aliquis naturæ, aut solius artis viribus solito longius vitam prorogare valeat, non dispuo: cùm & Æthiopas Macrobios plerosq; beneficio saluberrimi cujusdam fontis, cuius levissimam aquam assiduè bibunt, ad centum viginti annos pervenire, Herodoti Historia; & Tithonum ab Aurora quondam adamatum, liquorisq; cujuspam succo perfusum, ad tantam pervenisse senectutem, ut tandem optaverit in Cicadam verti; Dialogus prodat luciani. Illud tamen fidenter affirmare non vereor, neminem omnino reperiri mortalium, qui sive medendi peritiæ, sive alio secretioris naturæ adjumento, omnem fati vim eluserit, suamq; aut alterius vitam à fatali mortis telo præservârit. Scilicet: *Contra vim mortis non est medicamen in hortis.* Eò revocamur omnes, quò revocantur omnia. Statutum est. Omnes morimur. Ad hanc nati legem sumus; hoc Patribus nostris accedit, hoc Majoribus, hoc omnibus ante nos, hoc fieri post nos omnibus. Ratum & fixum est: Mors nenini parcit, grassatur in omnes. In hoc nascimur singuli, ut defungamur, & in nativum pulverem revertamur. Mors tributum, & vectigal est ab omnibus pendendum. Et quamvis

Non omnes homines auferat una dies,

Omnes tamen

Seriùs aut citius metam properamus ad unam.

Nemo ab hoc Jure exemptus, nemo liber.

Cunctos sub leges mors vocat atra suas.

C

Mundus

Mundus, in quo agimus, ex sensu Divi Basili mortalis est, & regio morientium. Quis de natis mulierum in hanc regionem venit, & non illico abitum paravit? quis vel unicum horæ spatium in ea sic quietè substitit, ut ad mortis confinia non properârit? quis in regione ista ita suæ arborem vitæ radicavit, ut eam nulla fati vis evellere, nullus mortis turbo prosternere potuerit? Quis denique tam manentem in mundo reperit civitatem, ut aliquando ab ea exclusus non fuerit? Si vel Divinis fidem habemus Oraculis, vel retrocta sæcula respicimus, nemo unus. Aut jam revocati, aut omnino ad universalissimam hanc Mortis Thesim revocandi omnes. Fuerint sanè innumeri aut Sanctitate conspicui, aut honoribus, & dignitatibus illustres, aut sapientiâ eximij, aut venustate formæ insignes, aut divitiis celebres, aut viribus & robore præstantes: Fuerint qui serenissimi ad instar solis virtutum suarum radiis totum illustrârint orbem, qui ob eximia in Rempublicam gesta Salvatores Urbium, Provinciarum Servatores, Imperiorum Atlantes Patriæ Patres audiverint: Fuerint non pauci immortales dicti: Fuerunt, non sunt. Transactis tandem aliquot annorum decuriis, somniatam immortalitatem illam cum morte mutare jussi, è revocati sunt, quò revocantur omnia: ad tumulum, ad vermes, ad cineres. Hæc cursus humani meta est; hæc Universalissima singulorum Thesis; ad hanc revocabimur & nos.

SYMBOLUM II.

Genius in præsentia ossei mortis monstri ex Olla Fortunæ horam suæ mortis trahens.

Inscriptio: *Idem Actus Scientiæ & Opinionis.*

Subscriptio: *Mors certa, hora incerta.*

Scientiam & Opinionem in eodem actu fœdus inire posse, quid dubitatis Philosophi? Unicus mors actus est: nam *semel* mori statutum omnibus. Plusquam *scientificum*, quia Divinæ innixum revelationi, *actum* hunc esse Theologi docent, credimus omnes. Decretum certissimum, ex arcana SS. Triados Cancellaria emanatum, Divini Spiritus hypogrammate roboratum, & ad totius orbis valvas appensum est: Moriendum omnibus. Et tamen Evidentissimo huic actui Opinionem copulari quis in dubium revocet? Quis enim, nisi cœlestium conscius secretorum incertam certissimæ mortis horam prænoscat? quis illius, quam cum singulis nostrum habitura est actionis locum, rationem, & modum certò prævideat? quis observet: Secreti ex Archivo Cœli de nostra ad supremum Tribunal citatione sibi communicati tenacissima est; nulli se confi-

confidit, nulli consilia, machinationes suas nemini pandit. Fœciales quidem interdum quosdam præmittit, sed non raro ita inobservata venit, ut prius fatali in vitam nostram iectu sœviat, quām præsens adesse observetur. *Quia non putatur horâ*, quo non expectatur loco comparet, & nihil minus, quām de abitu cogitantes ex improviso invadit, eoq; abire jubet, quò abeunt universa. Nullus ab ea immunis locus, nulla exempta actio, nulla quies secura, omne suspectum tempus. In cubili obtruncat Holofernes, & Alexandros severos; in Curia confudit Antistios, & Iulios Cæsares; ad Aras interficit Joabos & Senacheribos; in latrina He-liogabalos, in convivio Casimiro Secundos Poloniæ, in somno Atilas Ungariæ Principes aggreditur. Èò, quò vitam auspicati sunt die exturbat è vita Antoninos Caracallas, & Augustos Octavios; risu Zeuxes & Chrysippes, gaudio Ænetos, & Sophocles exanimat: Phalerno immergit Piasos Pelasgos; in Cretici dolio enecat Georgios Plantaginetos; acino Anacreontes, pyro Drusios Pompeios, fico suffocat Teripandros Cytharoidos. Vias obsidet cum latronibus, ut transeuntes vitâ spoliat; in tricliniis discubuit cum convivis, ut eis gulam præcidat; choreas ducit cum Saltatoribus, ut ingyrum æternitatis eos inducat: in campum cum militibus descendit, Victores comitatur ad triumphos; illis ut colluetur, hos ut ex improviso adoriat, cumq; vita palmam utrisq; eripiat. Exemplis veterum hic non agimus: quia quotidiana esse nostris quoq; temporibus non dubitamus. Adeò nullo non loco suspecta, nullo non tempore mors est timenda. Imò nunquam formidolosa magis, quām ubi non formidatur. Et vel ex eo expectanda semper, quia nunquam non certa, nunquam non incerta.

SYMBOLUM III.

Osseum mortis monstrum unâ manu mensam cum thesauris evertit, alterâ Genius ab eadem mensa retrusum, in sepulchrum detrudit.


Inscriptio: *De Distinctione.*

Subscriptio: *Una hæc distinguit ab omni.*

Parcite Peripatetici, ambulatoriam non ponimus Thesim, dum separabilitatem signum Universale Distinctionis statuimus; *Mortis* h̄ic non Aristotelis *Sententiam* sequimur: quæ jam olim ad Auram post meridiem ventilata, & sub Arbore Scientiæ irrevocabili stabilita decreto, in dies nobis è feretro, tanquam è cathedra ad oculum demonstratur. Nullum Individuum ab Universali hac lege eximitur. Nimirum: posito contingenti, sequitur necessarium. *Contingens* quidem est te nasci, ast ubi per-

nativitatem vidisti ortum, non poteris non videre occasum; quia *necessarium* est. Necessitas hæc consequens omnes consequitur. ut tandem ad limen æternitatis assequatur; ubi quemlibet excutit, redeuntem natura sicut intrantem; nec licet plus efferre, quam intuleris. Angusta est nempe vastæ æternitatis janua; Sarcinas omnes excludit; ad cujus limen dum perveneris, novam primi Novissimorum Thesim audies: *Quaecunq; distinguntur, separantur.* Nam si distingvi est esse aliud ab alio: dum temporaneum æterno permutat esse, dat esse aliud; dum privat omnibus, separat ab omnibus amara mors. Irregularis cæterà, hanc unicam videtur sequi regulam; quod ubicunq; per diversum esse distinctionem ponit, ponit & separationem, evidenti comprobans argumento: Omne illud, quo stamus, esse separabile. Stas nunc in Auge gloriæ, circumfusus radiis majestatis? quo stas, separabile est. Pones certè adventitiam hanc lucem, ubi sub umbra mortis ad occasum vitæ adveneris. Stas Croesus inter opes, aureos calcaneo contingens montes? & hoc separabile est. Hinc nullam ab opibus opem expecta; unde enim venerunt, revertentur; hoc est ad fortunæ manus, inde rursus ad alios abituræ. Stas densâ amicorum stipatus catervâ? ubi in laqueos mortis incideris, diffugient; & te solo inter Manes deserto, avidis manibus invadent tua, non jam tui, sed tuorum amici bonorum. Stas floridus primo ætatis vere Cyparissus? Cupressum cogita: nam si quid uspiam, certè flos iste Juventæ separabilis est, qui ætate ipsâ langorem contrahit, & vel unico mortis æstu, æstu omnis impatiens exarescit. Stas inter hortorum delicias Alcinous? Inter apiarij dulciaria Aristæus? Inter harmonicam fidium suavitatem Orpheus? Hæc omnia separabilia esse cogita. Nam & hortorum delicias falx inevitabilis succidet; & apum dulciaria amaritudo corrumpet; & suam fidibus suavitatem altum Libitinæ adimet silentium. Quidquid proinde circa te jacet rerum, tanquam hospitalis loci sarcinas specta, & à quo aliunde separandus es, contemne. Insipientis enim est, nimium adhærere illi, quo caruisse necesse est. Nolis velis separationem hanc admittere debebis, licet contrarium manibus pedibusq; propugnes. Nemini mors cedit. *Una hac distinguit ab omni.*

SYNOP.



B. MAURITIUS Ungarus ex nobilissima, & vetustissima Comitum Csaky Familia (cui, nativitas a Deipara prænunciata fuit) postquam adolescentiam pie exegisset & 3 annos in matrimonio, quod invit inverat sancti veiles set contempso saeculorum cum uxor paupere Christum lecut, & Religioni S. Dñici adscript, cum fama sanctitatis obiit Laurini 1556 ante et post mortem mira curis clarus. Belland: 20. Mar fieri fecit, et Mgris Thilia dedic: Cassovia 1693. Com. Georg. Csaky Rhet.

SYNOPSIS VITÆ
B. MAURITII CSAKY
Stylo Elogiali à Rhetoribus Caffoviens.
descripta.

ELOGIUM I.

B. Mauritij Regium Genus.

Beatus MAURITIUS CSAKY,
Suam vel inde auspicatus Beatitudinem,
Quod Hungariæ Regum oriundus de stirpe Surculus,
In eam Sanctimoniam sublimitatem,
Virtutum suffultus brachiis,
Assurrexit:

Quā
Totam *Consanguinitatis suæ Arborem*,
Venturis retro sæculis aspectabilem,
Efficit.

Sic nempe:

Magnæ arbores prolixiores umbras faciunt;
Et magnorum virtutes in plura sæcula se extendunt.

Fit quidem sæpe,
Ut nobis etiam è solo nascantur lolia,
Et Progenitores Clarissimi, progeniem nanciscantur obscuram;
Facile namque

Avitæ claritatis hæreditas decoquitur;
Nec rariùs ullum patrimonium transit ad tertium hæredem.

Secùs verò MAURITIUS:
Qui ortum dicens à Serenissimis,
Splendorem gentilitium, suarum radiis Virtutum magis serenavit.
Ut propterea nunquam majorum purpuræ rubori, sed ornamento fuerit;

Qui eam
Tot gemmis, quot Virtutibus exornavit.
Virtus enim in vulgo hominum non vulgare est ornamentum;
At verò in vivis Principibus
Si Principem locum teneat,

Gemmæ ad instar resplendet.
Nec propterea minùs regium putes, quòd nullo diademate refulgeat,
Regem enim suisse non negabis, si servum DEI dixeris.
Si enim servire D E O , regnare est:
Tunc verè regem se exhibuit
MAURITIUS
Cùm se totum Regis Regum servitiis mancipavit.

ELOGIUM II.

B. Mauritij Ortus à B. Virgine prænunciatus.
Meridiem ante Ortum,
Et adultam diei ætatem ante ipsa Solis nascentis incunabula perspicere,
Quia eorum est proprium,
Qui perspicaciō tam oculorum quam mentis intuitu,
Astra intuentur Astronomi,
Te quoq; Lector
Ut magni hujus Astri M A U R I T I I
Ortum, et Graduum differentias,
Qui supra mortalis vitæ Horizontem elevabatur,
Intelligas
Astronomum, aut Astrologum volo,
Qui Astrologiam Judicariam
Absque omni vetantis eam Ecclesiæ præjudicio,
Hic exerceas.
Quod utique facile assequeris,
Si ex ijs, quæ ortum ejus præcesserant,
De tota progressus magnitudine feres judicium.
Et si æquum te velis exhibere Judicem.
Solem dices M A U R I T I U M ;
Qui nempe:
A U R O R A M , ante Luciferum genitam,
Priusquam videret lucem,
Ortus sui habuit prænunciam,
Nubibus adhuc materni uteri obnubitur,
Et jam fama lucis ejus inclarescit:

Quâ olim ita in hominum influat voluntates,
Utsvavi quadam violentiâ ad sui amorem necessitatē.
Benigni sane influxus?
Quitam svaviter necessitando influunt,
Et influendo necessitant.

ELOGIUM III.

B. Mauritij Nativitas, Indoles, Religionis
amplexus.

Tandem luce dignissimus, in lucem prodit Infans
Patrem sortitus Demetrium Banum,
Et famam peperit, à quo sanguinem accepit.
Ut Electorum Album Coeli candidatus nomine suo inscribat;
Lustrali undâ tegitur,

Imò

Usque ad candorem animæ lavatur MAURITIUS.
Lavacrum Spiritūs egressus per triennium febribus æstuat;
Jam tunc magna pati in parvo discens corpore,
Donec in majori majora agere confvescat.

Neque id diu distulit:

Vix enim primum ætatis absolverat decennium,
Jam decumanæ Virtutis indicia moribus indicabat.
Nec mirum:

Ad virtutem enim immatura etiam ætas satis matura est;
Si morum, non annorum senium computetur.
Factus adultior adultiora mente volvit consilia,
Suspectas etenim adulantis fortunæ habens blanditias
Usitatos ejus casus

Unicā mundi Declinatione declinare cogitavit.

Consultore usus Novissimorum Primo,
Primatum omnem, novissimus esse cupiens, contemnere didicit.
Ad quod maximè animabatur vitâ
Voluntarii in Paterna domo Exulis Alexij.
Similiter mundo imponere gestiens,
Ut ejus imposturas Sanctus impostor antè occuparet,

ELOGIUM IV.

B. Mauritij Virtutum exercitia, & miracula, qui
busum DEUS viventem adhuc decoravit.

Plerosq; in securiorem portum desert tempestas.
Hac satis jactatus MAURITIUS,
Portum in Danubij Insula,
Ex quo ad Insulas Fortunatas solveret,
Obtinuit.

Hic ut enerves reperat ad cursum vires,
Nervos sibi carnivoris constringit funibus,
Et sanguinem de toto saepe corpore flagris prolicit,
Ut exiens ab Aegypto verus Israëlitæ
Per mare rubrum in terram promissionis tendat
Ne in Sepulchra concupiscentia incidat
Ita ollas carnium Aegypti obliviscitur,
Ut totis triginta annis
Quibus in sacra Religionis Solitudine vixit
Carnes nunquam gustaverit,

Hinc non mirum,
Quod nemo affectum vehementiæ
Commotum viderit:
Ubi enim carni pabulum Subtrahitur
Recalcitrare non potest.

Moysen, & Aaronem in Superioribus veneratus,
Ad aquas contradictionis nunquam devenit,
Quia nemini unquam contradicere, nemini auditus obloqui.
Eminentiarum quarumlibet osor egregius,
Unicâ sui infra omnes abiectione
Studebat eminere.

Columnam nubis & ipse habuit nube panis obvlatum numerus.
Cujus ductu,
Binis vicibus: clavis portarum valvis in templum penetravit;
Ita hic amore ejus exardens,
Ut ardenter coram DEO Eucharistico lampadem dixisset.

Sed
Et Moysis miraculum in MAURITIO renovatum intellige,
D
Qui

Quam se mundi occupatum negotijs,
Negotium animæ neglexisse serò ingemiseret.

Felix Anteoccupatio.

Hanc quis quis cupis addiscere, Cœlestem adi Rhetoricam,
Ubi similes è palatiis in cellas, è cellis in Cœlos

Non sine virtute Translationes

Frequenter occurrent.

Quantum in hac MAURITIUS proficerit,
Disce:

Innotuerat eum in libertatem Filiorum DEI aspirare;

Inimica talium cogitationum Amicorum turba,

Ut ei Religionis aditum præcluderet,

Vinculo matrimonij conclusit,

Amadeam VI cogitur accipere MARITIUS conjugem (a)

Jugum hoc (: cum suæ obstatet libertati;) deserere cupiens,

Tantum sanctis svästionibus apud sponsam effecit,

Ut tandem ei sponsalia Christi persuaserit.

Novum agnoscet RHETOREM:

Qui in Genere Deliberativo causam DEI per triennium agens,

Ita suas, & Sponsæ suæ promovit partes;

Ut consensu facto,

Pars utraq; in Divi Dominici Institutum consenserit.

Matrimonij vinculo liber MAURITIUS,

Agente Socero Palatino in carcere vinculatur;

Ubi & in vinculis liber animo,

Nec blanditiis e blandiri;

Minus minus extorqueri à se patitur,

Ut à signis Christi, insignis transfuga, ad mundum transfugiat.

Cujus innocentiam admirati, constantia certe victi adversarij

Liberum dimittunt;

Facto ipso testes locupletissimi

Hominem DEO obligatum posse quidem vinciri, sed non vinci.

Posse corpus stringi, sed animi libertatem non constringi,

Donec insons Innocentia triumphet.

(a) Mauritus. anagramma: Vi Maritus.

Qui aquas non quidem ligno sed Salvificæ crucis signo
Salutares efficit
Quas cùm æstuanti febris ordinis sui Fratri propinat,
Omnem ardorem extinguit
Ita nempe
Qui se infra omnes abjecit, supra naturam elevatus est;
Dum opera vires naturæ excedentia
operatur.

ELOGIUM V. B. Mauritij mors miraculis illustrata.

Sepiam excute calame;
Auro intigi deberes,
Ut
Euntem ad coeli coronas M A U R I T I U M describas;
Sed qui terris adhuc degentem pedestri stylo satis sequi non poteras,
Ad cœlum evolantem frustra sequeris.
Laudibus proinde metam pone
Ubi ille metam vitæ posuit.
Orientem scripsisti, ad occidentem transi;
Si tamen occidere potest,
Qui ibi oriri incipit,
Ubi fulgebunt Justi in perpetuas æternitates.
Paucis ante solennitatem Paschalem diebus
Anno Christi millesimo trecentesimo trigesimo sexto
Mortalis vitæ terminum, Immortalis principium
Attigit;
Ad æternam solennitatem transiturus
Quia Phase, id est: Transitus Domini appropinguat.
Dum illi Justa in frequentis populi accusu peraguntur,
Svavissimum exangve corpus odorem exhalat.
Virtutum sanè hunc odorem dixero:
Quæ dum vitiorum arcent putredinem,
Congenitam sibi odorum fragrantiam diffundunt.

Subtraetâ jam usurâ lucis, obdormiens in Domino oculos clauerat:
Sublato tamen in altum DEO per Pontificem DEO Eucharistico
Inspectante populo universo,
Bis eos aperuit;

Sive:

Ut solem suum genuinus lucis filius aspiciat;

Sive:

Ut necessitates miserorum videns, Sublevet.

Et sublevavit utique, etiam post mortem beneficus,

Damnaverat hominem ad tenebras natura,

Hic dum luminis vacuus, sed spei plenus

Sumptâ de Beati sepulchro terrâ

Oculos perfricat,

Pro spei plenitudine, quam attulerat; lucis plenitudinem,

Quam videre incepérat, reportavit.

Neq; solum cœco reddidit,

Sed & Illustrissimæ Prosapiæ suæ plurimam lucem addidit

M A U R I T I U S.

Veritatem non læserim, si fidenter edixero:

Illustrissimam, & Vetustissimam Csakyorum Familiam

Non minus Virtutum radijs, & Innocentis vitæ candore

à M A U R I T I O,

Quam gloriosis Zabolchij (a) factis illustrari.

Verum,

Ne, plura laudabilia commemorando,

Viventium in terra M A U R I T I I nepotum

Modestiam vulnerem,

De vivente in Cœlis MAURITIO

Scribendi finem facio.

(a) Zabolchus unus ex Septem primis Ducib. Ungar. à quo Familia
Csakyana. Bonf. Dec. 1. lib. 9. fol 163.

O. A. M. D. G. B. V. S. Franc. Borg. & B. Mauritij
Honorem.